

de quibus diximus; eo quod ea pleraque vi laudabilis consuetudinis præbeantur, quæ allegatis malis viam omnem præcludit; præsertim si vicarius in exigendo discretus est, et si in administrandis Viatico et Extrema Unctione ab exactione abstinens, non nisi libere oblata recipiat; ipseque reverendissimus ordinarius in computanda congrua portione, prout oportet, ad hanc reflexionem faciat.

22. *Portionis congruæ quantitas, quæ?* — Resp. IV. Quamvis olim penes solum prudens arbitrium episcopi fuerit, determinare quantitatem congruæ portionis, tamen hodie aliter declaratum et statutum, atque potestas hujus arbitrii limitata est per Bullam Pii V. *Ad exequendam*: ubi § 2. ex mente concilii (ut ait) episcopis expresse præcipit Pontifex « in assignatione portionis vicariis perpetuis ita se continere et arbitrari, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis (sunt mera formalia Bullæ) emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur, » ut proin arbitrium episcopi non nisi inter centum et quinquaginta scuta, consideratis considerandis circumstantiis locum habeat, præcipue quia Bulla hæc saltem quoad parochias monasteriis non incorporatas revocata non est, juxta dicta n. 18.

23. Observandum nihilominus: et attendendum omnino videtur, quod tempore, quo edita fuit hæc Bulla, videlicet 1567, omnia saltem in suis partibus fuerint in longe viliori pretio, adeo, ut his temporibus respectu præcedentis illius temporis necessaria vitæ vix duplici pretio acquirantur, consequenter ubi tempore illo quinquaginta, vel centum scuta pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum, vel ducenta necessaria sint, adeoque etiam temporis ratio merito habenda sit, juxta illud vulgare: « Concorda tempore, et concordabis jura. »

Illud etiam cum communi advertendum, quod quantitas a Pio V. assignata, fuerit taxata pro sola persona vicarii, non item pro capellano, aut cooperatore, si unum vel plures multitudine parochianorum, aut laborum exigit, quibus proin specialiter providere tenentur ii, qui ratione incorporationis aut unionis redditus parochiæ percipiunt. Plura de vicariis vide, lib. I, tit. XXVIII. *de Officio vicarii.* (ADNOTATIO XXI.)

## TITULUS XXXVIII.

## De jurepatronatus.

1. Ratio ordinis. Quandoquidem multa huc usque dicta sint de præbendis, beneficiis, capellis monachorum, quæ persæpe etiam jurispatronatus sunt, et ad præviam præsentationem conferuntur, recto ordine titulus præsens præcedentibus subjungitur, qui est unus inter celebriores in jure canonico, scitu non minus necessarius, quam utilis ecclesiasticis.

## § I.

DE NATURA JURISPATRONATUS: ITEM DE CAUSIS ET MODIS, QUIBUS ACQUIRITUR, ET QUIS PATRONUS EFFICITUR.

2. *Patroni et jurispatronatus nomen varie accipitur.* — Notandum prius, nomen patroni, sicut et jurispatronatus varie, præsertim vero tripliciter sumi in jure. Primo quidem patronus in jure dicitur ille, qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum: et jus, quod in manumissum habet, *Juspatronatus* vocatur, de quo integer extat titulus ff. *de Jurepatronatus* et c. *de Bonis libertor. de Jurepatronat.* Secundo accipitur *patronus* pro eo, qui causam alicujus in judicio assumit, tuetur, eique patrocinatur, et jus advocantiæ, *juspatronatus* nominatur, de quo fit mentio can. un. cau. 13. q. 2. et c. 6. *de Transact.* ac l. *Rem.* 14. c. *de Judiciis.* Verum de patronis, et *jurepatronatus* in his acceptationibus hic non erit sermo: unde in tertia acceptatione ad præsens.

3. *Juspatronatus ad propositum definitur.* — Quæritur I. Quid sit *juspatronatus* ad propositum? Resp. « Est jus seu potestas præsentandi Clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans. » Ita in re communis. Dicitur « jus seu potestas » loco generis. Dicitur « præsentandi, » quia patronus non confert beneficium, nec instituit clericum sed simpliciter præsentat aliquem episcopo, qui dein, si præsentatum repetit habilem, eum instituere, eique beneficium conferre debet; si vero inhabilem invenit, rejicere potest, juxta dicenda infra. Dicitur « Clericum, » quia cum laicus beneficii ecclesiasticus

fici incapax sit, ad illud cum effectu præsentari nequit. Dicitur tandem « ad beneficium ecclesiasticum vacans; » quia sicut institutio, ita et præsentatio ad beneficium nondum vacans nulla, et irrita est, textu claro, c. *Illud.* 8. h. t. ibi: « Cum illa concessio de jure nullius possit esse momenti, quia de re non vacante facta est: » ut proin etiam vacante beneficio nec debeat, nec possit episcopus instituere illum, qui ante vacationem beneficii præsentationem accepit, et e contra patronus alium pro libitu præsentare queat, nisi etiam vacatione facta denuo, prout potest, præsentet eundem.

4. *Acquiritur dotatione, vel ædificatione, vel fundatione.* — Quæritur II. Ex quibus causis, seu quibus modis acquiratur *juspatronatus*, et efficiatur quis patronus? Ante responsum notandum, alios esse modos, quibus ab initio acquiritur, vel potius constituitur *juspatronatus*; alios vero, quibus jam prius acquisitum, in alios transfertur. In præsentis quæstio est de causis et modis, quibus penitus de novo acquiritur; unde Resp. tres esse potissimum causas et modos, quibus primitus acquiritur *juspatronatus*, videlicet, fundatio, ædificatio, et dotatio ecclesiæ. Ita Glossa communiter recepta in can. *Pie mentis.* 26. cau. 16. q. 7. ubi ad propositum ponit receptum illum versiculum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Ex quibus tribus causis et modis quilibet disjunctim, et separatim sumptus sufficit ad hoc, ut quis efficiatur patronus, et acquirat *juspatronatus*, Fagnanus, in c. *Quoniam.* 3. h. t. n. 49; Abbas, *ad Rubr.* h. t. n. 6; Archidiaconus, in c. 1. h. t. in 6; Mascardus, *de Probat.* conclus. 59, n. 34; Pirhing, h. t. n. 6. cum communissima aliorum. Ratio est, quia jura singulos hos modos etiam separatim sumptos, pro acquirendo *juspatronatus* sufficientes agnoscunt. Et quidem, quod sola fundatio sufficiat, clare habetur ex can. *Decernimus.* 32, cau. 16, q. 7, et c. 3, et c. *Nobis.* 25. § *Pro fundatione.* h. t. Quod autem sola ædificatio, seu constructio ecclesiæ sufficiat, clare liquet ex cit. c. *Nobis.* 25, h. t. princ. ibi: « Si quis ecclesiam cum consensu diocesanæ construxit, ex eo *juspatronatus* acquirat. » Item quod dotatio sola sufficiat, habetur ex can. *Filiis.* 31, cau. 16, q. 7. et concilio Trident. sess. 14. *de Reform.* cap. XII. et sess. 25. eod. cap. IX. ubi sola

dotatio pro sufficienti causa acquirendi *juspatronatus* agnoscitur.

5. *Et particula subinde sumitur pro vel, et contra.* — Nec obstat, quod concilium Tridentinum cit. sess. 14. *de Reform.* cap. XII. ad acquirendum *juspatronatus* conjunctive requirat fundationem et constructionem ecclesiæ; ibi: « Nemo nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam fundaverit et construxerit, etc. *juspatronatus* obtinere possit. » Resp. enim, ibi dictionem et non facere sensum copulativum, sed disjunctivum, uti dictio *vel*: prout colligitur tum ex aliis juris textibus supra citatis; tum ex ipso concilio, utpote quod citat sess. et cap. ad finem, sicut et sess. 25. *de Reform.* cap. IX. in sensu diviso loquitur, solam *Fundationem* v. g. aut *Donationem* pro sufficienti agnoscit; ibi: Titulus *juspatronatus* fit ex fundatione, vel dotatione. » Neque novum quid in jure est, quod particula copulativa et sumatur pro disjunctiva *vel*, et contra, ut notat Glossa in c. *Ex parte.* il. 1. *de Rescript.* §. *Et perpetuo,* habeturque clare. Sæpe. ff. *de Verb. signif.* ibi: « Sæpe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis, » et l. *Conjunctionem.* ff. eod., ibi: « Conjunctionem enim nunquam pro disjunctione accipi, Labeo ait; » quod præcipue tunc fieri, censendum est, quando alii juris textus hunc sensum, ne aperte discordent, exigunt, prout fit in proposito.

6. *Fundare ecclesiam quis dicitur?* — Porro fundasse Ecclesiam ad propositum proprie dicitur ille, qui fundum, seu solum, sive terræ spatium dedit, in quo ædificata fuit ecclesia, arg. can. *Abbatem.* 4. cau. 18. q. 2. ibi: « Possessionis domus, » et c. *Nobis.* 25. h. t. ad finem. et ibi doctores communiter: ubi tamen cum Garcia, *de Beneficiis*, p. 5, cap. IX, n. 44; Abbate, consil. 106, p. 2. et aliis notandum, quod sola donatione, seu assignatione fundi non illico acquiratur *juspatronatus*, sed tunc primum, quando ecclesia fuit constructa sive per eum, sive per alium; quia nemo potest esse patronus ecclesiæ, quæ nondum est, et forsitan non erit, arg. c. *Ad audientiam.* 5. *de Ecclesiis ædific.*

7. *Ædificare, quis dicitur?* — Ædificasse ecclesiam dicitur, qui eam cum consensu ordinarii propriis sumptibus construxit, arg. c. *Monasterium.* 33, cau. 16, q. 7, et c. *Nobis.* 25, h. t. ibi: « Si quis Ecclesiam cum consensu diocesanæ construxit. » Qui autem

sine consensu ordinarii eam construit, cum illicite agat, arg. can. *Nemo. de Consecrat. dist. 1.* juspatronatus non acquirit, ut in cit. c. *Nobis. n. 4.* bene notat Fagnanus, docentque eo teste omnes.

8. *Reaedificans quando acquirat jus patronatus?* — Sub ædificatione comprehenditur etiam reaedificatio ecclesiæ penitus destructæ, in quo casu primus ædificans amittit, et reaedificans acquirit juspatronatus, Garcias, loc. cit. n. 52; Fagnanus, in c. *Quoniam. h. t. an. 52*; Pirhing, h. t. n. 8, l. *Quid tamen. 10.* § pen. ff. *Quibus modis usufruct. amitt. Ratio est, quia perinde est, ac si ecclesiam primitus ædificasset, arg. c. Consuluit. de Judicis.* Nec refert, quod eadem materia, et iisdem lapidibus eam reaedificet, ut post Glossam, in c. *Quoniam. h. t. §. Fundatores.* notat Fagnanus, loc. cit. n. 58. dummodo id faciat cum consensu ordinarii; quia sicut juxta dicta, non potest ecclesia de novo ædificari sine consensu ordinarii, ita nec reaedificari potest penitus destructa: adeoque sine consensu ordinarii reaedificata juspatronatus non præstat, uti post Abbatem, in cit. c. *Quoniam. h. t. n. 8.* bene observat Fagnanus, loc. cit. n. 53. ubi cum aliis insuper notat, æquum esse, ut antequam ordinarius alicui licentiam reaedificandi ecclesiam dat, prius antiquum patronum requirat, an non ei placeat, eandem reaedificare, eumque volentem cæteris præferat, arg. c. *Placuit. de Empt. et vendit. c. Ad hæc. de Offic. archidiacon.* Quod si ecclesia non penitus, vel ita sit destructa, ut nova consecratione indigeat, ex refectione et reparatione secundum partem illius, non acquiritur juspatronatus. Garcias, loc. cit.; Fagnanus, loc. cit. n. 52; Pirhing, h. t. n. 8. cum communi aliorum, et Glossa, in c. *Quoniam. h. t. §. Fundatores,* etiamsi successive diversis temporibus per partes tota fieret nova, Azorius, p. 2, lib. VI, cap. XIX, q. 10; Pirhing, h. t. n. 8, arg. l. *Quid tamen. § 1. §. Plane. ff. Quibus usus. amitt.*

9. *Dotatio quid, et quando per eam acquiratur juspatronatus?* — Dotare ecclesiam dicitur, qui ei sine dote fundatæ et constructæ congruam dotem, id est, sufficientes assignat, et tribuit redditus, seu annuos census pro ministris ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis, arg. cau. *Quicumque. 30.* et can. *Filiis. 31,* cau. 16, q. 7. si tamen dos aut redditus sufficientes non essent, non fieret, nec diceretur patronus, sed

tantum benefactor ecclesiæ, tribuens illos Garcias, loc. cit. n. 52; Abbas, in c. *Ad audientiam. 3,* h. t. n. 4; Glossa, in cit. can. *Quicumque. 30,* cau. 16, q. 7, arg. can. *Nemo ecclesiam. 9. de Consecrat. dist. 1.* et declaravit sacra Congregatio apud Garciam, loc. cit. illis verbis: « Dotans insufficienter quod arbitrabitur ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur benefactor. » Pariter juspatronatus non acquirit, nec patronus sed tantum benefactor ecclesiæ fit, et dicitur, qui ecclesiæ jam sufficienter dotatae novos tribuit redditus, etiamsi majores sint, quam illi, qui primitus pro sufficienti dote fuere assignati, eo quod patroni fiant non propter quantitatem rei donatæ, sed qui primitus ecclesiam quodammodo a non esse ad esse, sufficienti donatione perducunt, uti observat Glossa, in can. *Pie mentis. 26,* cau. 16, q. 7. Verum si dos primitus data omnino pereat, tunc antiquus patronus amittit, et acquirit ille juspatronatus, qui de novo sufficienter dotat, sicut n. præced. diximus de *Reaedificatione.* Fagnanus, loc. cit. n. 59; Pirhing, h. t. n. 9. Cæterum utrum dos ante vel post consecrationem ecclesiæ assignetur, nihil refert; prout contra Glossam, loc. cit. docet Cardinal. et Abbas, in cit. c. *Quoniam. 3.* h. t. n. 9; Garcias, loc. cit. n. 54; Innocentius, in *Rubr. h. t.*; Pirhing, eod. n. 10. cum communi. Ratio est, quia favore ecclesiæ juspatronatus retrotrahitur, et fingitur, ac si ab initio dotatio fuisset facta, arg. c. *Tanta. 6. Qui filii sint legitimi,* dummodo cum consensu episcopi, et cum intentione tacita vel expressa ecclesiam dotandi fiat; quia simplici donatione aut legato, absque dicta intentione dotandi non acquiritur juspatronatus, uti bene observat Garcias, p. 5, cap. IX, n. 59. citans plures decisiones Rotæ; Abbas, loc. cit. n. 3. cum talis benefactor potius quam dotator censeatur; jura autem non benefactori sed dotatori juspatronatus attribuunt, arg. can. *Filiis. 31,* cau. 16, q. 7. Cæterum ad acquirendum juspatronatus non est necesse, ut expresse sibi reservet, sed sufficit, quod expresse non remittat juspatronatus, ille, qui dotat, fundat, vel ædificat ecclesiam, Rota decis. 5. de *Jurepatronat. in Antiq.; Famin. Paris. de Confident. q. 28,* n. 231; Pirhing, h. t. n. 10. cum communi, arg. c. *Nobis. h. t.*

10. *Si plures concurrunt ad fundandam, vel ædificandam, etc., omnes fiunt patroni.* — Si unus, idemque simul fundat, ædificat, et do-

at ecclesiam, solus erit patronus, solusque habebit juspatronatus: si vero plures concurrunt, ita ut unus dotet, alter fundet, et tertias ædificet, erunt omnes patroni in solidum. Fagnanus, in c. *Quoniam. h. t. n. 49*; Innocentius ad *Rubr. h. t.*; Abbas ad *Rubr. h. t. n. 6*; Garcias, loc. cit. n. 52. Pirhing, h. t. n. 7. cum communi, arg. can. *Filiis. cau. 16. q. 16.* Imo, si plures concurrant ad eam ex tribus modis vel causis allegatis, v. g. ad dotacionem, erunt omnes simul respectu hujus tituli, patroni habentes æquale juspatronatus, etsi unus eorum plus conferat, dummodo omnes simul sufficientem præbeant dotem, ut notant doctores citati. Ratio est, tum quia hoc ipso, quod ille, qui plus confert, alium minus conferentem adjuvat, censeatur velle communicare cum illo juspatronatus; tum quia jura simpliciter dicunt, ex dotacione acquiri juspatronatus, non disinguendo an unus, aut plures dotent. Item est, si plures concurrant, ad ædificationem, vel fundationem, Abbas, loc. cit.; Garcias, loc. cit. et alii; quod etiam expresse declaravit sacra Congregatio, teste Garcia, loc. cit. n. 53. Idem dicit, si plures concurrant ad reaedificandam ecclesiam penitus destructam: vel eam dotandam, postquam dos prior totaliter perit, juxta dicta n. præced. et n. 8.

11. *Juspatronatus quomodo probetur?* — Porro si quis ex aliquo prædictorum titularum prætendit juspatronatus, debet talem titulum probare ex authentico documento, et aliis jure requisitis, prout novissime statuit concilium Tridentinum, sess. 25. de *Reform. cap. IX.* vel ubi instrumentum deest, « ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum excedat memoriam, aliasque secundum juris dispositionem, » ut ibi pergit concilium, et dicitur infra n. 13. et seq. Dicitur autem notanter in conclusione n. 4. posita. « Tribus potissimum modis, et causis acquiritur juspatronatus. » Nam:

12. *Acquiritur etiam privilegio.* — Resp. II. Præter hactenus explicatos tres modos et causas acquirendi juspatronatus, idem adhuc aliis duobus modis acquiri potest, videlicet privilegio, et præscriptione. Et quidem privilegio, si summus Pontifex alicui de ecclesia bene merito, vel ob aliam causam illud concedit, etsi ecclesiam nec fundarit, nec dotarit. Ratio est, quia Papa ex plenitudine potestatis de cunctis beneficiis habet plena-

riam potestatem, episcopi vero juspatronatus concedere non possunt. Garcias, de *Benefic. p. 5,* cap. IX, n. 128, arg. c. 2. de *Rebus Eccles. non alienand.*; Barbosa, in concilio Tridentino, sess. 25. de *Reform. cap. IX. n. 18*; Pirhing, h. t. n. 12. quod idem etiam in *Theologia nostra Morali tract. II. dist. 3. n. 7.* jam docuimus, et fuit declaratum a sacra Congregatione apud Garciam, loc. cit. Imo juspatronatus quocumque ex privilegio quocumque etiam Papali ante concilium Tridentinum concessum, revocatum est ab eodem concilio Tridentino, citata sess. 25. de *Reform. cap. IX.* ibi: « Reliqui patronatus omnes in beneficiis tum sæcularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata ecclesia, seu facultates, et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, et præsentandi ad eam, dum vacant, exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis iis, quæ ad imperatorem et reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes, pertinent, et quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt, in totum prorsus abrogata, et irrita, cum quasi possessione inde secuta intelligantur: beneficiaque hujusmodi tanquam libera a suis Collatoribus conferant: » in quem textum etiam vide Barbosam, et bene scribit Garcias, loc. cit. a. n. 115. ubi n. 118 ex declaratione sacre Congregationis addit, sublata esse omnia privilegia, etiamsi habeant clausulam, quod juspatronatus ex privilegio concessum sit ejusdem valoris et roboris, ac si ex fundatione, dotacione, aut ædificatione esset; vel cujus valoris est juspatronatus regum. Quare, qui juspatronatus ex titulo solius privilegii manutenere vult, debet docere, quod illud habeat a summo Pontifice post tempora concilii Tridentini, loc. cit. uti loc. cit. bene observat Pirhing.

13. *Acquiritur præscriptione.* — Præscriptione etiam acquiritur juspatronatus: et quidem contra liberam, seu nondum patronatam ecclesiam non nisi ex frequentatis actibus per tempus immemorabile, uti expresse statuitur in concilio Tridentino, sess. 25. de *Reform. cap. IX.* ibi: « Ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat: » notant tamen hic Barbosa, n. 5; Ricci. in

*Praxi fori eccles.* resolut. 127. in fine; Casiro Palao, tom. II. tract. XIII, disp. 2. pun. 3, n. 4, ad hoc, ut dicantur presentationes multiplicatae, sufficere duos actus, quia « pluralis locutio duorum numero est, » contenta, c. 40. *de Reg. jur.* in 6. et 1. *Ubi numerus*, ff. *de Test.* Cæterum tam actus, quam tempus immemorabile legitime probare debet præter tendens juspatronatus, ut concedunt doctores communiter: quid autem sit tempus immemorabile, vide supra, lib. II. tit. XXVI. § 5. n. 122. et Barbosa, in *Concil. Trident.* loc. cit. a. n. 6.

14. *Ad probandam præscriptionem in potentibus requiritur major probatio.* — Advertendum hic tamen, « quod in iis personis, seu communitatibus, seu universitatibus, in quibus id jus (patronatus) plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur. Nec immemorabilis temporis probatio eis aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, presentationes etiam continuatae non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sunt, authenticis scripturis probetur: » sunt verba concilii Tridentini, loc. cit. Quænam autem sint tales personæ et communitates, vide Barbosam, in *Concil. Trident.* loc. cit. a. n. 32. et Gonzalez, in reg. 8. Cancellar. Glossa 18. a. n. 66. ubi ex declaratione cardinalium refert, esse omnes potentes: item omnes perpetuam jurisdictionem habentes, nobiles, barones, comites, duces, reges, imperatores, principes, episcopos, universitates, et communitates.

15. Contra ecclesiam vero non liberam, sed patronatam, seu potius contra patronum, requiritur, et sufficit tempus ordinarium, videlicet decem annorum inter præsentantes, et viginti inter absentes cum titulo: sine titulo autem triginta anni cum bona fide, si præscribitur contra privatum, sive clericum, sive laicum, atpote contra quem dictum tempus ad præscriptionem requiritur, et sufficit per dicta, et ex jure probata, lib. II. tit. XXVI. *de Præscriptione.* § 6. Ita docet Molina *de Justit. et jur.* disp. 70, n. 2; Zoesius, h. t. n. 9; Pirhing, h. t. n. 118, ubi etiam citat Covarruviam in *Reg. possessor. de Reg. jur.* in 6. § 10. n. 8. qui tamen contrarius est, utpote universaliter requirens annos quadraginta, etiamsi contra privatum præscribatur; eo quod, ut ait, in tali præscriptione

de aliquali saltem agitur præjudicio ecclesiae utpote cujus interest, ne mutantur ejus patroni. Verum quia hæc ratio omnino non videtur efficax, cum parum vel nihil intersit ecclesiae, hunc vel illum habere patronum privatum, et æque evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit ecclesiae; quam prior ejusdem patronus, contra quem præscribitur, uti bene observat Molina, loc. cit. hinc non videtur recedendum a dispositione juris communis, dictum tempus ad præscribenda immobilia pro necessario et sufficiente statuendum. Accedit, quod concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. ix. nil immutavit circa probationem jurispatronatus privatorum, sed reliquit sub dispositione juris communis, prout sæpe decidit Rota, teste Gonzalez in reg. 8. Cancellar.; Glossa 18. n. 54. Barbosa, in *Concil. Trident.* loc. cit. n. 21. Quadraginta tamen anni requiruntur si est præscriptio contra monasterium, vel alias causas pias juspatronatus habentes, quia contra has de jure communi hoc spatium temporis ordinarie requiritur juxta dicta, lib. II. tit. XXVI. *de Præscriptione.* n. 163.

16. Illud communiter concedunt doctores citati, etiam adversarii, et Barbosa in *Concil. Trident.* loc. cit. n. 22. cum tempore sufficere unicum actum præsentationis exercitum. Ratio est, quia de jure communi plures non requiruntur, sed unus sufficit, ad constituendum aliquem in possessionem; dummodo interea non venerit alius casus præsentationis, uti observat Barbosa, loc. cit. Nec obstat hactenus dictis concilium Tridentinum, loc. cit. ubi tempus immemorabile, et multiplicatos actus requirit. Resp. enim concilium ibi loqui in casu, quo fit præscriptio contra ecclesiam liberam, seu non patronatam: quam in libertate conservare enixe intendit: non item de casu, quo præscriptio currit contra ecclesiam jam patronatam, seu jurispatronatus jam subjectam, sed potius contra patronum, ut doctores communiter advertunt. (ADNOTATIO XXII.)

## § II.

DE MODIS, QUIBUS JUSPATRONATUS JAM SEMEL ACQUISITUM IN ALIOS TRANSFERRI, CONSEQUENTER TRANSLATIONE ACQUIRI POSSIT: UBI ETIAM DE HIS, QUI CAPACES SUNT JURISPATRONATUS.

17. *Juspatronatus quatuor modis transfertur in alium.* — Notandum prius cum Glossa

communiter recepta in can. *Piæ mentis.* 26. cau. 16. q. 7. et c. *Cum sæculum* h. t. §. *Empiorum*, quatuor modis juspatronatus ab uno in alium transferri posse, videlicet, successione, donatione, permutatione, et venditione universitatis, de quibus sunt illi versus relati a Glossa, loc. cit.:

Jurapatronatus transire facit novus hæres,  
Et res permutata, donatio, venditioque.

18. I. *Hæreditate: et quomodo?* — Quæritur I. An, et quomodo transferatur in alium juspatronatus per successionem hæreditariam? Resp. I. Juspatronatus cum universitate bonorum transit ad hæredes quoscunque tam masculos quam fœminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento succedant. Abbas, in c. 1. h. t. n. 2. et seq. et ibi Fagnanus, n. 12. et 13; atque Barbosa, n. 9.; Covarruvias, lib. II. *Var. Resolut.* cap. xviii. n. 6.; Pirhing, h. t. n. 44. cum communi, arg. c. 1. h. t. Quod, quia indistincte loquitur, indistincte venit intelligendum. Concordat c. *ex litteris* 7. h. t. et Clem. 2. eod. Hinc inferunt doctores, præsertim Abbas, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. et alii, quod si filius v. g. exhæredetur, vel instituatur in re certa, ad eum juspatronatus non transeat; quia transit cum universitate bonorum, arg. cit. c. 7. h. t. nisi forsan rei certæ castro v. g. in quo instituitur hæres, esset specialiter annexum juspatronatus, hoc enim casu in tali re certa hujusmodi institutum transire dictum juspatronatus, clare patet ex eod. c. 7. h. t. et notat Pirhing, loc. cit. et dicitur magis infra n. 21. et 31.

19. *Unius patroni hæredes succedant æqualiter.* — Resp. II. Si plures sunt hæredes unius patroni, succedunt omnes æquali jure, etsi in partibus inæqualibus sint instituti, textus et Glossa communiter recepta in c. 1. h. t. §. *Non debeat.* ubi tamen notatur, quod hæredes juspatronatus dividere non valeant, sed in solidum, si velint, possidere debeant juspatronatus. Ratio est, quia res simplex et indivisibilis (qualis est juspatronatus, utpote incorporale quid, quod dividi nequit, arg. can. *Nihil.* 16. cau. 7, q. 1, et l. *Via.* 17. ff. *de Servit.*) dividi non potest, arg. l. *Si sepulcrum.* c. *de Relig. et sumpt. fun.* 1. *Quod si locus.* ff. eod. Limitatur conclusio, quo unius patroni hæredes aliqui vi juris in bonis succederent in capita, ut liberi, alii in stirpem, ut nepotes, tunc enim

etiam in juspatronatus eodem modo, consequenter non æqualiter succederent.

20. *Plurium patronorum hæredes succedunt in stirpes.* — Resp. III. Si plures sint hæredes diversorum patronorum originalium, succedunt etiam omnes, non tamen in capita, sed in stirpes, ita ut, si Titius v. g. dotavit ecclesiam, Caius vero eandem construxit, et hic relinquit unum hæredem, ille vero quatuor; tunc hi quatuor simul unam tantum habebunt vocem, seu votum præsentando, et unum æquale alteri unus hæres. Abbas, in c. 1. h. t. n. 5; Pirhing, eod. n. 47, cum communi ac certa aliorum, textu claro Clem. 2. h. t., ibi: « Plures ab uno ex patronis ecclesiae relictis hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione rectoris. » Quid juris autem, si plures patroni in præsentando disconvenient? Item quot vota præsentatus habere debeat? dicitur infra a n. 91.

21. *Judex non potest uni ex hæredibus adjudicare juspatronatus.* *Juspatronatus transit cum re, cui est annexum.* — Resp. IV. Quando hæreditas inter hæredes dividitur, non potest judex uni ex hæredibus adjudicare juspatronatus universitati bonorum annexum. Abbas in c. *Querimoniam.* 9, h. t. n. 3; Zoesius, eod.; Pirhing, eod. n. 56, cum communi. Ratio est, quia vel fit divisio in partes æquales, et tunc non apparet, cur potius uni, quam alteri adjudicetur: vel fit in partes inæquales, et tunc, si in compensationem illi adjudicaretur, qui minus accipit, haberetur aliqua commutatio temporalis pro spirituali, quod simoniacum est. Secus foret, si juspatronatus non universitati bonorum, sed castro, vel villæ, aut alteri certæ rei hæreditariæ est annexum, tunc enim id utique illi adjudicari potest, qui in divisione talem rem accipit: imo absque ulla judicis sententia cum tali re ad eum transit; hoc ipso, quod juspatronatus semper cum re, cui est annexum transeat, arg. c. *Ex litteris.* 7. h. t. et ibi Barbosa, n. 3, ac Fagnanus, n. 3, cum communi aliorum; et magis dicitur infra n. 31.

22. Et ex hac ratione docet etiam Barbosa, loc. cit. n. 9. et *de Offic. et potest. episc.* allegat. 71, n. 45. quod si ob delictum patroni confiscentur bona ejusdem, quibus annexum est juspatronatus, etiam hoc ipso ad fiscum transeat. Sed de hoc vide amplius Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. 49. per totum ubi exacte rem pertractat.